

isse a Viro singularis pietatis et doctrinae b. m. Julio Antonio S. R. E. Card. S. Severinae nuncupato longo studio, multaque industria et labore plenissimum, compositum; Rituale ipsum Romanum Pauli V. jussu editum, et hoc Rituali, quod reliquis omnibus est usitatus, usus praesertim fuit praestantissimus Joseph de Armstat Episcopus Augustanus. Hoc idem Rituale sive nostrum Romanum consuluit pariter praeclarissimus Card. Armandus Rohan Episcopus Argentinensis, dum in Rituali Argentinensi edidit ordinem supplendi caeremonias tam super infantem, qui sine ullis caeremoniis sunt baptizati, quam super adultos pag. 60, 61... Multa quidem adjecit ad utilitatem dignitatemque baptismi et caeremoniarum, quae in eo adhibentur, copiosius explicandam, ex quibus constat ita Ecclesiam preces et ritus in baptismo administrando praescriptos accommodasse, ut iis rectissime utatur dum ab Ecclesiastico Ministro in sacro templo, et in publico fidelium coetu suppleri jubet, quod in privata baptismi collatione omissum fuerit. Multa inquam adjecit, sed sic ordinem praedictum supplendi caeremonias baptismi super adultos concludit: *Haeretici ad Ecclesiam Catholicam venientes, in quorum baptismo debita materia, debitaque forma servata fuit, moneri quidem possunt post factam a se haeresis abjurationem, ad suscipiendas hasce baptismi caeremonias; sed cogi non debent. Iis solum conferantur, sive infantibus sive adultis, qui, vel quorum parentes ea ex pia devotione expetierint.* Haec conformia maxime sunt iis quae Rituale Romanum habet, quaeque supra retuli, nempe *omissa tantum suppleantur, nisi rationabili de causa aliter Episcopo videatur, et fortasse hanc omissionem vel prudentiam in omissione exposcit, vel contentionum vitatio, vel jurgio-*

rum occasio aliqua, vel aliqua alia non improbanda ratio. Quibus omnibus animadversis, et cum his, quae superius sunt adnotata collatis, ad propositum dubium rescriptum est: *Quatenus supplendae sint, et supplendae esse credantur caeremoniae, ut in dubio; illae supplendae sunt quae pro adultorum baptismo sunt praescriptae.*

b) Aqua.

Vd. *Benedictio fontis* (oleum).

c) Dies.

Curnam fiat in Sabb. Paschae et Pentecosten? Vd. *Bened. fontis* (oleum, decr. n. 4820 ad 3 nota.)

d) Non diu differendum.

Vd. *Ibidem ad 4 nota.*

e) Dispensator.

Posse Vicarium general. baptizare sine consensu proprii parochi, si sit sacerdos et non habet ab Episcopo facultatem limitatam. n. 1138 die 16. Apr. 1639.

Tam actum baptizandi, quam alias functiones preparatorias pro baptizandis Turcis et aliis ad fidem venientibus esse faciendas per eundem sacerdotem baptizantem et consequenter ipsum Praepositum (s. Joannis), prout in rituali disponitur. n. 2350 die 19. Dec. 1665.

Vd. *Amen* (omissio).

f) Extra Eccles. illicitus.

Episcopus non concedat facultatem baptizandi extra Ecclesiam (Cathedralem) excepto casu necessitatis. n. 4270 ad 7 die 16. Julii 1757.

g) In Necessitate.

Vd. *Baptismus* (oleum, decr. n. 4820); *Unctio in Baptis.*; *Baptis.* (Rebaptiz.)

Canonicus Poenitentiarius Cathedralis Calceaten. in Hispania Joseph Ti-

burtius Calleia Emis. P. sacris tuendis Ritibus Praepositis dubium quoddam hisce conceptum verbis definiendum, atque enodandum subjecit. Parochus in casu necessitatis periclitantem puerum stola violacea indutus domi baptizavit, eique S. Chrisma, et Oleum S., quod secum detulit, imposuit, prout in Rituali Romano.

Quaeritur: an bene, vel male se gesserit in casu unctionis extra Ecclesiam.

Et S. R. C., exquisita prius habitaque sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris scriptis pandita, typisque vulgata, ad relationem Emi. ac Rmi. D. Card. Julii Mariae de Somalia Episcopi Ostien. et Veliternen., S. Collegii Decani, et S. R. C. Praefecti, respondendum censuit:

„Juxta votum, nimirum: Parochum male se gessisse, baptizando cum stola violacea, et liniendo puerum periclitantem extra Ecclesiam Oleo etiam catechumenorum. In casu enim necessitatis, juxta Ritualis praescriptum, omnia sunt omittenda, quae Baptismus praecedunt, quaeque postmodum supplenda sunt in Ecclesia, ad quam praesentandus est puer cum convalescit.“

Et ita respondit. n. 4572 die 23. Sept. 1820.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Ubi Lex clara est, non relinquatur disputandi locus. Atqui in proposita facti specie Rubrica interpretatione non indiget, vix, ac ne vix quidem intelligo, quatenam sit dubitandi ratio. Quamvis infans, vel adultus Catechumenus, si in mortis periculo constitutus sit, a quocumque etiam laico, et foemina (dummodo is intendat id velle facere, quod vult Ecclesia, formam pronuntiet, simulque elementarem aquam super illum effundat) baptizari licite et valide possit; attamen si Parochus vel Sacerdos sit, qui domi in casu necessitatis privatim baptizat, re-

gulam servare debet, quam ponit Rubrica, videlicet: *omissis, quae baptismum praecedunt, eum baptizet ter, vel etiam semel infundens aquam super caput ejus in modum Crucis, dicens: Ego te baptizo in nomine Patris etc.; si non habeatur aqua baptismalis, et periculum impendat, Sacerdos utatur aqua simplici; deinde, si habeat Chrisma, liniat eum in vertice dicens: Deus omnipotens Pater Domini N. J. Chr. etc.; postea dat ei linteolum candidum, dicens: Accipe vestem candidam etc. ac demum dat ei ceream candelam accensam, dicens: Accipe lampadem etc.; si supervixerit, suppleantur alii ritus omissi.* Qui tamen omissi ritus suppleri debent in Ecclesia, postquam infans vel adultus convalescit.

Itaque si lex praecipit, ut omittantur omnia, quae Baptismus praecedunt, statimque sine mora infans vel adultus salutari lavacro est abluendus; quo jure Parochus, ut Dubium fert, ministrando baptismum, violacea Stola usus est, puerumque oleo catechumenorum linivit? male ergo se gessit baptizans, imposita sibi Stola violacea: sed magis etiam erravit id faciens, quod Ritualis Rubrica omittendum jubet. Erit forte quis, qui postulet: curnam adhiberi possit s. Chrisma, si in promptu est, non autem Oleum catechumenorum? Facilis et expedita esset responsio, si dicerem, rationem non esse petendam, dum lex aliquid expresse jubet, aut vetat verbis non ambiguus. Verumtamen ratio haec nimis est generalis; alia igitur quaerenda, neque multis est opus, ut eam inveniamus. Ita Rubrica disponit, ut etiam in casu, quo ad baptizandum Parochus vel Sacerdos accedat, nulla interponatur mora, statimque spirituali baptizandi saluti provideatur. Cum enim non liceat privatim baptizare infantem vel adultum Catechumenum, nisi gravis ne-

cessitas urgeat, et periculum non remotum, sed proximum mortis imminet: plane consequitur ab ea actione esse incipiendum, in qua Sacramentum ex Divina institutione consistit; ne, si differatur, ut praemittantur preces, exorcismi etc., interim baptizandus decedat. Non enim quaecumque periculum satis est, sed illud, quod dilationem admittere et moram dare non videatur. Postquam vero necessitati fuerit consultum, quatenus infans vel adultus luce adhuc fruatur, cum nulla formido supersit, poterit Sacerdos alias caeremonias perficere, quae subsequuntur; et quatenus vas Chrismatis secum habeat, hoc linire verticem, candidum linteolum porrigere, accensam candelam tradere, orationes et respectivas formulas pronuntiare; quae omnia commode fieri possunt, quia, dum haec fiunt, si infans vel adultus decedat, spiritualis salus, ex ei jam collato baptisate, in tuto est: secus vero dicendum de caeremoniis, quae praecedunt, quia, dum dicuntur preces et exorcismi, evenire potest, ut baptizandus, nondum sacro lotus lavacro, moriatur. Atque ea vera ratio, ob quam Rituale omittenda esse jubet, quae praemitenda sunt; permittit, ut fiant, si Sacerdos minister est et S. Chrisma in promptu sit, quae subsequuntur.

h) Oleum vetus.

Vd. *Coena Domini* (Olea s.; distributionis tempus); *Olei Infusio in font. baptismalem*; *Unctio in Bapt.*

Ad dubium: An in Baptismo solemniter ungenti sint infantes Oleo et Chrismate praecedentis Anni, dum recentior consecrata non habeantur, an vero omittenda sit haec Caeremonia, et postea supplenda quum novum Oleum et novum Chrisma recipiantur? S. eadem C.... rescripsit, nimirum:

„Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.“

Atque ita rescripsit. n. 4820 ad 4 die 23. Sept. 1837.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Oleo S. ungi baptizandum ritus est Ecclesiae antiquissimus, cujus et antiqui Patres et Rituales Codices passim meminere. Duo autem sunt hujusmodi Unctiones; prima ante Baptismum Oleo, quod Catechumenorum vocatur, et fit, quemadmodum antiquitus, nunc etiam in pectore et inter scapulas in modum Crucis. Quem ritum S. Carolus in suis institutionibus de Baptismi administratione, cap. de Caeremoniis, quae priusquam Baptismus ministretur, adhibentur pag. 550 col. 2 sic explicat: *Obsignantur praeterea Oleo S. figura Crucis pectus et scapulae, ut intelligamus eos, qui Baptismo initiantur, quasi Christi Athletas, ait S. Ambrosius luctamen hujus saeculi luctaturos, solent enim luctantes ungi. Deinde ut sciamus Baptismi gratiam non nostris meritis, sed Christi beneficio et gratuita misericordia donari, quae Oleo significatur.* Addit deinde alias interpretationes, a quibus recensendis abstinemus, quum eas possit quisque per se consulere. Altera Unctio praescribitur post Baptismum S. Chrismate in summitate capitis in modum Crucis, de qua verticali unctione frequens occurrit mentio apud veteres Scriptores et in antiquis Sacramentorum Codicibus. Cur autem Baptizatus Chrismate in capitis vertice perungatur, explicat Conc. Trid. Catechismus Part. 2 de Baptis. Sacram. num. 60 his verbis: *Jam postquam Baptismus absolutus est, Sacerdos summum Baptizati verticem perungit, ut intelligat se ab eo die Christo Capiti tamquam membrum conjunctum esse, atque ejus corpori insitum et ea re Christianum a Christo, Christum vero a Chrismate appellari.* Quaerebant autem Parochi Praeben-

dati Cath. Oriolen.: an juxta propositum casum in Baptismo solemniter infantium duo hujusmodi unctiones fieri debeant Oleo et Chrismatis praecedentis Anni, quum recentior consecrata non habeantur, an vero omittenda sit haec Caeremonia et supplenda, quum novum oleum et novum Chrisma accipiantur? Certum equidem quod Parochus sive Sacerdos alius, qui de illius licentia baptizat, cavere debet, ut inquit S. Carolus in Conc. Prov. Mediol. IV. cap.: *Quae pertinet ad Sacramentum Baptismi, cavere, inquam, debet, ne ad infantem baptizandum alio Chrismate utatur, quam eo, quod illo ipso anno consecratum est, ut veteri Canone cautum est.* Id tamen, ut in primi Dubii adnotatione advertetur, intelligendum est, ubi commode fieri potest. Ubi enim Oleum recens benedictum haberi non possit, vetus adhiberi posse supra probatum fuit ex Decreto S. C. Ep. et Reg. apud Gavantum, ex eodem S. Carolo et ex ipso contextu Ritualis Rom. cap., de *S. Oleis*. Et certe quamquam s. omnes Caeremoniae sive illae Baptismum praecedant, sive comitentur, sive subsequantur, non sint ad ejusdem Sacramenti validitatem necessariae, nihilominus non debent ullatenus omitti, nisi quibusdam in casibus, quos recenset Rituale Rom. in fine capitis: *Ordo baptismi adultorum, his verbis: „Si ob baptizandorum multitudinem, ut in India et novo Orbe, quandoque contingit in singulorum baptismo praescripti ritus adhiberi non possunt, tunc vel pluribus simul adhibeantur, vel si urgeat necessitas, omittantur.* Certum equidem adesse in Rituali Rom. *Ordinem supplendi omissa super baptizatum, quae vetus est Ecclesiae praxis et cujus nullae sunt rationes, quas adnotavit S. Thomas Part. III. quaestion. 70. art. 3. et Guilelmus Estius in lib. 4. Sententiarum, distinct. 6. §. 5.,*

ut certum est pariter s. preces et caeremonias praetermitti non posse nisi urgente mortis periculo vel alia cogente necessitate, nimirum ut explicat Catalanus *Commen. Rit. Rom.* ad hunc locum *cap. 5.*, vel apud haereticos, vel quocumque errore. Quae conditio periculi mortis alteriusve urgentis necessitatis deest in casu proposito, in quo, eo ipso, quod agitur de solemniter Baptismo, omitti non debent unctiones Olei et Chrismatis, ne Sacramentum sua careat solemnitate. Quae Olea licet benedicta sunt anno praecedenti, quum nova ob miseram Hispanici Regni conditionem haberi non possint, recte verificari videtur necessitas iis utendi, eo vel magis quia benedictio praecedentis anni nihil impedit, quominus mystici effectus, ad quos hujusmodi Unctiones dirigi supra innuimus, obtineantur. Quae ratiocinatio, ut magis magisque illucescat, sic juvat argumentari. Si caeremonia ungenti Oleo et Chrismate infantes in Baptismo ideo est omittenda, quia non expedit in ea adhiberi Olea praecedentis Anni, aut infantes baptizandi sunt sine hac unctione postea supplenda cum novis Oleis, aut relinquendi sunt sine Baptismo, donec novum Oleum et Chrisma recipiantur. Atqui neutrum fieri potest; nam primum non patitur Rituale Rom., quod disponit conferri posse Baptismum s. precibus ac caeremoniis omissis tantum urgente mortis periculo, aut alia cogente necessitate: quod periculum vel necessitas in proposito casu, quum agatur de solemniter Baptismo, non verificatur: alterum non patitur spiritualis Salus infantium, quia quum incertum sit, quando recipi possint novum oleum et novum Chrisma, deliberate et scienter differri debet Baptismum maximo infantium periculo, cui prospiciens Rituale Rom. *Cap. de baptizandis parvulis §. 1* ait: *Opportune Parochus hortetur eos, ad quos*

ea cura pertinet, ut natos infantes... quamprimum fieri poterit., deferant ad Ecclesiam, ne illis Sacramentum tantopere necessarium nimium differatur cum periculo salutis. Restat ergo ut concludatur in deficientia novorum oleorum, nihil obesse quomodo in solemnibus Baptismo ungantur infantes Oleo et Chrismate praecedentis anni: quibus omnibus perpensis, et his innixa S. C. affirmative ad primum respondit, et negative ad secundum.

i) Rebaptizandi.

Ad quaest.: An Infantes domi in casu necessitatis baptizati sint sub conditione rebaptizandi? S. C. C. resp.: Negative, nisi adsit dubium probabile invaliditatis baptismi. Die 27. Mart. 1683.

Foetus in utero supra verticem baptizatus post ortum denuo sub conditione rebaptizetur. S. C. C. 12. Julii 1794.

k) Vestis.

Ad dubium: Utrum in Baptismate infantes offerre debeant linteolum candidum loco vestis albae, quam efferunt adulti, S. C. resp.: Servandum esse Rituale rom. de Sacramento Baptismi Tit. de s. oleis; vers. altaribus. n. 1436 die 14. Mart. 1643.

S. BARBARA.

Vd. Lectiones non approb.

Ad dubium PP. Benedict. Einsidl.: an s. Barbara, ubi celebratur ritu dupl. sine speciali solemnitate (nisi quod privatae personae pro felici morte templum frequentant) sit celebranda die 4. Dec., translato s. P. Chrysologo? S. C. resp.: Quando non constet de speciali Indulto, fiet Officium de s. P. Chrysologo cum commemorat. s. Barbarae tamquam de simpl.; sin autem

adsit concessio Officii de s. Barbara sub ritu dupl., fiat de illa Officium assignando fixam et perpetuam diem s. Petro Chrysologo. n. 4043 ad titul. X. dub. 3. die 5. Maji 1736.

S. BARTHOLOMAEUS AP.

(Vigilia).

Propter festum principale parochiae Mogain. Dioec. Ossociensis, cadens in vigilia s. Bartholomaei, vigiliam dictam die praecedenti anticipandam esse. n. 1512 die 4. Junii 1644.

BASILICA.

De praeceminentia Basilicae prae aliis Ecclesiis et de Differentia inter Basil. Major. et Minores.

Vd.: Usus Pontifical. (decr. n. 4781 nota).

BEATI.

1) Celebratio festi.

Cf. Oratio (mutatio, decr. n. 4526).

DECRETUM

Super Cultu Beatis adhuc non Canonizatis praestando a S. R. Congregatione ordinaria habita coram S. D. N. Papa Alexandro VII. emanatum:

Ad aures E. P. C. S. R. plures devenerunt, qui patrantur indultorum excessus in materia praestationis cultus Beatis adhuc non Canonizatis.

Quamobrem eos eliminare, ne in futurum inducantur, providere studentes, ad infrascripta devenerunt Decreta etc.

1. „Quod eorumdem Beatorum Imagines etiam non principaliter et uti supplices appositae, simulacra, picturae, tabellae, aut scripturae eorum praecleara gesta repraesentantes aut referentes in Ecclesiis, Sacrariis et Oratoriis quibuscumque, et praesertim in quibus Missae Sacrificium vel alia Divina

Officia peraguntur, inconsulta Sede Apostolica, nullo pacto exponantur.“

2. „Quod ibi indultum fuerit per Sedem Apostolicam Imagines, simulacra, pictasque tabellas in Ecclesiis poni et coli posse, in pariete tantum, non autem super Altari collocandi facultas censeatur.“

3. „Quod, si concessa fuerit per eandem Sedem Apostolicam Altarium erectio, non tamen ob id Missam et Officium de praedictis Sanctis celebrandi vel recitandi facultas tradita praesumatur; etenim specifica et expressa concessio super his praecedere debet.“

4. „Ubi in uno loco cultus fuerit concessus, non extendatur, inconsulto Pontifice, ad alium locum, quavis alia concurrente auctoritate.“

5. „In locis, ubi Beatos praedictos ab omnibus coli permissum fuit, non inde publica Officii recitatio permissa censeatur, sed tantummodo privata, nec satisfactoria praecepto recitationis, nisi quoad illos, quibus Sedes Apostolica de hoc indulserit.“

6. „Missae pariter, quae fuerunt indultae certis personis, nempe Presbyteris regularibus vel saecularibus alicujus Ecclesiae servitio praecipue addictis, a confluentibus Sacerdotibus, quavis dignitate, etiam Cardinalatus, insignitis, minime celebrentur.“

7. „Dies festi in Beatorum eorumdem memoriam non celebrentur, nisi speciali indulto Apostolico provisum fuerit.“

8. „Eorumdem nomina in Calendariis non apponantur, nisi illius tantum loci earumque personarum, in quo et a quibus cultus cum Officio et Missa celebretur.“

9. „In quibusvis Ecclesiasticis precibus, etiam in oratoriis privatis, recitandis, particularia eorumdem suffragia non apponantur vel recitentur.“

10. „Publicis in precibus praeter

indultas et a Sede Apostolica approbatas, iidem Beati non invocentur.“

11. „Eorumdem Reliquiae in Processionibus minime circumferantur.“

S. tamen C. praesentibus declaratione et jussione remove non intendit cultum Beatis per communem Ecclesiae consensum, vel per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum Virorumque Sanctorum scripta, vel temporis centum annorum metam excedentis scientiam ac tolerantiam Sedis Apostolicae, aut Ordinariorum hactenus praestitum ac certis modo et forma ab eo tempore eis exhibitum. Verum si a centum annis citra cultus hujusmodi aliqua ex parte constiterit auctus et extensus, eo casu S. eadem C. eundem in pristinum reduci jubet; prout quemvis cultum extra casus praedictos ad expressa tantum verbaliter in Apostolicis indultis omnino revocari mandat sub poenis etc.

Firmis quoque remanentibus Decretis, nempe ne Beati in Patronos eligantur, ne eorum natalia cum Octavis celebrentur et aliis quibuscumque a S. C. hactenus emanatis, quae praesenti Decreto renovantur.

His autem SSmo. relatis et in C. S. R. ordinaria habita coram Sanctitate Sua per Emum. et Rnum. D. Cardinalem Sacchetti accurate perlectis, mature discussis, Sanctitas Sua ea approbavit et pro omnimoda eorumdem observatione mandavit typis imprimi, ad valvas affigi et publicari, ut elapso tempore sex mensium a die publicationis eorumdem omnes et singulos eadem exhibita vel personaliter praesentata, intimata seu notificata fuissent. Indulsi quoque locorum Ordinariis, ut auctoritate Sedis Apostolicae possint, imo debeant Saeculares et Regulares quoscumque quantumvis exemptos etiam Societatis Jesu, S. Antonii Viennen. et S. Joannis Hierosolymitani et reliquos omnes speciali expressione indi-